



Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo

Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, M.DC.LXXXIX.

Cap. CLXXXVI. De impetratione beneficii aduersus illum, qui prouisus fuerit non habens ætatem, & Ordinem ad illud beneficium requisitum ex statuto Ecclesiæ Collegiatæ. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98388](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98388)

ne, remaneret prima in suo robore, vigore clausulae praedictae: ut bene explicat Barboi. in tractat. de clausul. cap. 103. cum pluribus per eum citatis.

10 Tertia proposita fuit difficultas, ex eo quod non obstante cassatione reservationis habitationis domus in favorem patris, de qua in dicta concordia, partius ipse perseveravit in possessione domus canonicalis: & sic videtur probata confidentia inter patrum & nepotem, per executionem illius capituli concordiae à Sede Apostolica rejecti; cum concordia sit individua, & pro parte acceptari non possit, sed debeat adimpleri tam quoad partem confirmatam, quam quoad partem cassatam, alioquin esset simonia: Verall. dec. 206. p. 1. & adeo ut propter contraventionem unius capituli, etiam minimi, tota concordia corruat, ut per Verall. ibid. n. 4. Lotter. de re benef. lib. 3. q. 29. n. 82. quamvis aliud sit, dum agitur de implemento & manutenzione contractus: ex dictis supra, c. 18. n. 6. Et ideo cum partius post cessionem canonicatus semper remanserit in possessione domus canonicalis, videtur simoniam contraxisse. Menoch. lib. 5. praesumpt. 9. n. 4.

11 Sanè hæc obiectio subsistere possit, aut saltem difficultatem movere, nisi constaret nepotem in dicta sua domo canonicali manentem, patrum suum ad illam domum admisisse iure amicitiae, familiaritatis & conjunctionis; sic enim de iure factum fuisse praesumitur: l. qui iure familiaritatis, & ibi Gloss. ff. de acquirend. poss. Seraphin. dec. 1. 38. num. 2. ubi dicit hoc maxime procedere ad excludendam praesumptionem delicti: Rot. coram Durano dec. 40. num. 1. 12. & 13. & cum possidere uno, vel alio modo, dependat ab animo, & non cadat sub sensu corporali, difficile probari poterit, quod alio modo quam iure familiaritatis possessio fuerit continuata per patrum, ut in dicta dec. quæ est repetita apud Postium dec. 206. num. 14. & fasè idem Post. in tractat. de manent. observ. 54. num. 8. & sequ. Gratian. discept. forens. cap. 450. n. 5. & sequent. nec debet possessor appellari, qui non sibi, sed alteri possidet: Gratian. ibid. n. 17. & Et quando alius possidet iure proprio, non potest dari manentio illi, qui possidet iure familiaritatis: Giovagnonus cons. 11. num. 2. lib. 1. Et cum nepos haberet titulum, licet partius haberet possessionem, tamen de iure præsumitur possidere iure familiaritatis, praesertim ad excludendum delictum, ut dictum est: Postius dicta observ. 54. num. 12. Et per consequens non potest aliquid obijci, nec aliqua confidentia praesumi adversus patrum, ex habitatione dictae domus canonicalis continuata cum nepote Canonico: Propterea datum fuit illi consilium, ut non recurreret ad aliam novam provisionem, non obstantibus praedictis oppositionibus. Sic determinat Paris. cons. 39. n. 27. lib. 4.

Secundo loco resignatarius iste dubitavit, utrum alio ex capite beneficium istud impetrari posset, videlicet quod cum ipse sacrum Diaconatus Ordinem ante vigesimum secundum ætatis annum à sacro Trident. Conc. requisitum suscepisset, nec non ad Sacerdotium ante vigesimum quintum scienter, ut credebatur, promotus fuisset, & in illo Ordine ministrasset, incurreret irregularitatem ideo canonicatus uti vacans, impetrari posse videbatur.

15 Respondi verum quidem esse, ipsum in irregularitatem incidisse, & in poenam suspensionis ab officio, cuius causa datur beneficium; ideo beneficium ipsi conferri non potuisse, ex notatis per Ricc.

in praxi jurisprudentis, dec. 185. num. 174. juxta constitutionem Pii Papæ II. cuius meminit idem Ricc. in praxi variar. resolut. cap. 105. num. 2. & qui labitur, dum existimat Episcopum super hac irregularitate dispensare posse; non enim expressè prohibitum est per constitutionem Sixti V. cuius meminit Maceraten. lib. 3. resol. 16. num. 10. in 4. casu, & adest Regula Cancell. 24. & nunc 24. Alexandri VIII. nunc feliciter regnantis, per quam innovatur constitutio Pii V. inducens privationem beneficiorum ipso iure, à qua absolvi possunt à solo Papa, (salvis facultatibus particulatibus ab ipso Pontifice concessis) teste Cokier. ad dictam regul. 23. sublata videlicet constitutione Sixti V. quæ privationis ipso iure poenam è medio sustulerat. Has bullas inserit Quarant. in sum. Bullar. in verbo, Ordo. fol. mibi 496.

17 Si talis irregularitas fuisset incurta post collationem canonicatus, non privaretur ipso iure privatus, quia irregularitas privat ipso iure ab obtinendis, sed non ab obtentis, Rot. dec. 236. num. 2. part. 2. recent. In obtentis siquidem non inducitur privatio, nisi per sententiam, Garc. de benef. part. 1. 1. capite 10. numero 47. Vgolin. de irregular. cap. 65. §. 2.

18 Similiter excusaret sic promotum probabilis ignorantia: Cavalier. dec. 1. per totam, repetita dec. 200. part. 2. recent. Lotter. de re beneficiaria, lib. 2. quæst. 47. num. 88.

19 Tertiò dubitavit, utrum obtenta per Sedem Apostolicam dispensatione, & quatenus opus est, rehabilitatione, indigeret nova adeptione possessionis. Responsio est facilis, eum non indigere nova adeptione possessionis. Quia ex superveniente novo titulo, licet mutare causam possessionis, l. 3. §. illud, l. qui bona fide, §. quod scriptum, ff. de acquirend. poss. Immo licet possessio capta fuisset pendente appellatione, & sic attentatoriè; tamen superveniente novo titulo subrogationis convalidatur, & non potest opponi de attentatis: Mantica. dec. 71. numero 1. & 10. Rot. dec. 97. num. 3. 4. & sequentib. part. 5. recent. quæ habetur apud Postium dec. 37. & Et ex novo titulo validiore superveniente, etiam mera detentatio converti potest in possessionem manentibilem. Postius dec. 25. num. 1. & 11. repetita dec. 108. part. 5. recent. Ad quod optime conferunt tradita per Bald. in l. 2. num. 57. C. de servit. & aqua, versic. sed pone, aliquis: & ubi dicit, quod si aliquis diu steterat in choro tanquam Canonicus, & tamen non erat, sed Papa illum dispensavit, & contulit illi canonicatum, non requiritur nova installatio, quia ipso iure fit quædam conversio, & quædam mutatio ex causa superveniente: Rebuff. in praxi, tit. de rescriptis Etiam, & perinde valere, num. 32. secunda parte. Quia licet prima causa possidendi fuerit injusta, & non vera, ipsa tamen possessio vera est: Rot. dec. 275. num. 5. part. 1. recent. Sord. consil. 93. num. 11. & 12. & Rota dicta dec. 97. num. 21. part. 5. recent. Et ex his remanent resolutæ omnes praedictæ difficultates.



CAPVT CLXXXVI.

De impetratione beneficii adversus illum, qui provilus fuerat non habens ætatem, nec Ordinem ad illud beneficium requisitum

situm ex statuto Ecclesiæ Collegiæ. Et utrum tale beneficium in casu illo vacet ipso jure. Et utrum sic provifus excusetur propter ignorantiam dicti statuti: Vel si provifus fuerit ex causa permutationis. Etatis dispensationem non sufficere ad obtinendum Canonicatum, quando certus Ordo requiritur ex statuto. Possessio triennis inducit præsumptionem tituli validi, & præsumptæ dispensationis. Negativa dispensationis non obtineat quomodo probari possit.

S V M M A R I U M.

- 1 Beneficium illius qui non habet Ordinem requisitum existat in Capitulo, vacat ipso jure, & statim impetrari potest.
- 2 Qui non habet qualitates requisitas ex statuto Capituli, non excusatur prætextu ignorantie.
- 3 Obvians dispensationem ætatis requisitam à statuto Ecclesiæ, non potest allegare ignorantiam statuti.
- 4 Qui tenetur intra certum tempus promoveri, excusatur si fuerit impeditus, sed tamen cessante impedimento, statim tempus illi currit.
- 5 Per clausulas generales non censetur derogatum statuto particulari Ecclesiæ.
- 6 Promotus ante impetrationem tutus est, si pro se habeat triennem possessionem.
- 7 Possessio triennis inducit præsumptionem tituli validi, etiam si constaret de alio titulo invalido.
- 8 Producent dispensationem invalidam facit cessare præsumptionem alterius dispensationis validæ.
- 9 Qui non fuit promotus, & ea ratione privatus ipso jure, sola triennis possessionis præsumptione tutus est.
- 10 Negativa non obtineat dispensationis quomodo probari possit.
- 11 Quamvis ex registris Curia non constet aliquam dispensationem fuisse obtentam à die provisionis, tamen hoc non sufficit, quia ante dictam provisionem dispensatio potuit obtineri.

Statuto Ecclesiæ cujusdam Collegiæ cautum est, neminem ad illam admitti posse, nisi fuerit actu celebrans. Cum autem quidam obtinisset provisionem Canonicatus in dicta Ecclesia, credebatur se tutum propter dispensationem ætatis quam obtinuerat, nulla tamen facta mentione dicti statuti requisitis actuali Sacerdotium: qua de causa, tertius quidam eundem Canonicatum impetravit propter inhabilitatem dicti provisi. Super quo requisitus pro parte dicti Canonici, dixi in primis, supposita inhabilitate provisi, beneficium illud recte impetrari potuisse, propter privationem inductam ipso jure ex dispositione dicti statuti: quo casu impetratio valida est, etiam non vocato possessore, & nulla expectata sententia: ut in cap. licet Episcopus, de prebend. in 6. & ibi Gloss. in verbo, te non vocato, Garc. de benefic. part. 1. cap. 10. n. 23. cum pluribus ibi citatis. Et licet aliqui Doctores dicant contrarium, nempe requiri sententiam privationis, tamen hoc debet intelligi ut sententia declaratoria requiratur duntaxat ante executio-

nem & ablationem possessionis: sed hoc non impedit quin impetratio statim fieri possit, sicut dicitur de hæreticis, in cap. cum secundum leges, de hæreticis, & traditur in cap. licet Episcopus, de preb. in 6. Potest igitur beneficium ipso jure vacans alteri conferri ante sententiam, & possessor non habet in eo titulum in præjudicium impetrantis: Garc. de beneficiis cap. 10. n. 24. & 26.

Neque potest dictus provifus excusari suo proprio textu ignorantie dicti statuti: quia quiescentem beneficium ex sui fundatione habet hoc onus annexum, ut sit actu Sacerdos celebrans, cum perinde expressa quod aliàs privetur ipso jure, vel sit inhabilis, si non habeat qualitatem requisitam, annuit beneficium ipso jure, nec illum ignorantia excusat, etiam si obtinisset hujusmodi beneficium ex causa permutationis: quia qui cum alio contrahit debet scire qualitatem contrahentis, & contrahentem rei super qua contrahitur: Staphil. de litteris grat. sub tit. de variis modis vacation. in 4. n. 4. principali, n. 4. & 5. fol. miki 138.

Et hoc maxime procedit, quia in bullis de conscripto dicti Canonici possessoris, non continetur aliqua dispensatio, aut dilatio alicujus temporis se promoveri faciendum, sed nuda & simplex dispensatio ratione ætatis, ex eo quod ipse erat in vigesimo tertio sue ætatis anno constitutus: a quo duo resultant effectus.

Primus est, quod licet dictum fuerit ignorantiam statuti illum non excusare, posito tamen præjudicium veritatis, quod posset sub eo patere excusari, tamen colligitur ipsum non quiescentem statutum, quia nisi illud habuisset notum, ætatis dispensationem non obtinisset, quæ tamen non fuisset necessaria, cum Canonicatus datus in simplici Ecclesia Collegiali, in qua regulariter constituitur ætas quatuordecim annorum: cap. pro ordinata, de prebend. Gambar. de officio & potestate lib. 7. num. 428. Non poterat igitur ignorantia esse defectum ætatis, nisi dicti statuti notum habuisset.

Secundus effectus resultans ex supradictis consistit in eo, quod cum dictus Canonicus post obtinuerit duntaxat dispensationem super defectu ætatis, non potest dici dispensatus super defectu non promotionis, ut privatio indicta per totum, non per viam extensionis, sed per comprehensionem firma remaneat. Certum est, quod quando quis tenetur intra certum tempus promoveri, si durante illo tempore oriatur quod impedimentum, propter quod non fuerit acta promotio, tempus datum ad promovendum incipit currere à die cessantis impedimenti: Rebuff. in praxi, tit. de non promotis intra annum, num. 4. & 48. Et sic posito quod statutum non requiritur actuale Sacerdotium tempore collationis, sed cederet tempus anni ad dictam promotionem, statim finito anno ætatis vigesimo quarto completæ fuisset obligatus assequi sacrum Presbyteratus ordinem, aut ad minus, cessante quocumque alio impedimento, tempus ad promotionem currere.

Nec juvari potest dictus Canonicus, si opponatur fuisse derogatum statutis dictæ Ecclesiæ per clausulas generales. Rebuff. conf. 40. n. 16. Rot. dec. 37. p. 4. recent. Quia contrarium verius est, nempe quod per clausulam generalem, non obstantibus, non censetur derogatum statuto particulari Ecclesiæ: Rebuff. in cap. nonnullis, n. 23. de rescriptis. Mart. de consensu, part. 1. cap. 79. n. 4. Barbosa de clausulis, cap. 1. num. 16.

- 6 Prædictis omnibus consideratis, Dixi consultius fore huic Canonico, ut si non posset verificari in observantiam dicti statuti, recurreret ad beneficium Regulæ de triennali possessione, cujus ope tutus esse posset, attenta sua triennali possessione: sufficit enim, quod promotor fuerit ante impetrationem ab adversario factam: Maynard. lib. 1. cap. 55. Louet littera B, & ibi Addent. num. 4. Ricc. collect. 2395. versic. amplia tero, faciunt tradita per Sanch. in consil. moralib. lib. 2. cap. 1. dubit. 31. num. 20. 25. & 27. ubi sic tenet contra Rebuffi.
- 7 Et hoc procedit quamvis aliunde constaret de titulo invalido, quia possessio triennalis inducit præsumptionem alterius tituli validi, etiam si constaret de alio, Ludovisi. decis. 37. num. 9. Gomel. in reg. de trien. quest. 10.
- 8 Quod tamen intelligendum est, ut locum habeat si ipse possessor non produxisset titulum dispensationis invalidæ, quia ex huiusmodi productione cessaret præsumptio alterius tituli validæ dispensationis: Gomel. ad reg. de trien. quest. 10. circa finem, versic. sed adveniendum. In hoc tamen non est diutius immorandum, cum hæc questio tituli in materia triennalis possessionis, bene per nos explicata fuerit supra, lib. 1. cap. 85. num. 40. & sequentibus, ibi igitur videri poterit teloluto.
- 9 Hoc sufficit, quod Regula de triennali inducit præsumptionem dispensationis, & cuiuscumque melioris tituli, etiam favore ejus qui ob non promotionem ipso jure privatus fuisset: Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 2. definit. 72. Sanch. dicto lib. 2. consil. moral. cap. 1. dubit. 31. num. 29.
- 10 Erat ergo tutus possessor triennalis adversus impetrantem, non obstante defectu promotionis, propter præsumptam dispensationem: Et licet impetrans possit assumere onus probandi negativam, hoc est nullam factam fuisse dispensationem, nempe per diligentias & perquisitiones in registris: ex Verall. decis. 44. part. 3. & decis. 45. ubi apparet quod possessor debet se fundare in titulo præsumptæ dispensationis, & nullum alium dispensationis titulum producere.
- 11 Sed ista diligentia & perquisitio erit inutilis impetranti, quamvis doceret Canonicum istum à tempore suæ provisionis nullam obtinuisse dispensationem, quia illam potuit obtinuisse ante suas provisiones: Ludovisi. decis. 242. n. 8. & sic probatio Negativæ non resularet concludenter.
- Itaque Canonicus iste solo triennali possessionis beneficio tutus fuit, & impetrantem exclusit.

CAPVT CLXXXVII.

Ad quæ spectat cura in Ecclesia parochiali & collegiata: Et nominatio Vicariorum ad curam exercendam? Quomodo fieri debeant provisiones Vicariorum in Ecclesiis unitis Dignitatibus, vel Capitulis: Et quod concursus in illis non sit necessarius. Provisio parochialis, quæ sunt de jure patronatus Ecclesiastico, quomodo fieri debeat secundum Concilium Tridentinum. Quomodo differat inter se unam Ecclesiam esse alteri sub-

Sanlegerii Tom. II. Pars I.

jectam, & alteri esse unitam. Similiter quomodo differat jus præsentandi quod competit ratione subjectionis, & ratione juris patronatus. Subjectio unius Ecclesiæ alteri ex quibus probetur. Et de interpretatione Bullæ Pii V. quæ incipit *Ad exequendum*. Et utrum illi bullæ derogari possit, aut saltem requiratur illius specialis derogatio.

SUMMARIUM.

- 1 In Ecclesiis parochialibus & collegiatis cura habitualis spectat ad primam Dignitatem.
- 2 Ecclesia parochialis provisio qua forma fieri debeat juxta Concilium Tridentinum.
- 3 Dispositio Concilii Tridentini circa provisiones parochialium locum etiam habet in provisionibus summi Pontificis, nisi facta fuerint per reservationem in favorem certæ personæ: quod non habet locum in Legatione.
- 4 Quando Papa providet sine concursu, necessaria est derogatio Concilii.
- 5 Parochialis existens de iure patronatus Ecclesiastico subiacet concursui: & qua forma tunc adhiberi debeat.
- 6 Nominatio quæ spectat ad Dignitatem, cui parochialis est unita, non dicitur procedere ex iure patronatus, sed ex jure subjectionis.
- 7 Subjectio unius Ecclesiæ alteri quomodo probetur.
- 8 Quomodo differant jus præsentandi ratione subjectionis, & quod competit ratione juris patronatus.
- 9 Ad probandam subjectionem Ecclesiæ non est opus producere instrumentum unionis, sed sufficit conjectura, & quæ?
- 10 Licet Episcopus Vicarios amovibiles fecerit perpernos, non præjudicatur iuribus primæ Dignitatis Ecclesiæ.
- 11 Ex perceptione omnium decimarum præsumitur subiectio Vicariorum in Parochialibus.
- 12 Nudum exercitium cura spectat ad illos, qui nunquam in provisionibus vocati fuerunt Rectores.
- 13 Non sit præjudicium Dignitati, quamvis provisio Vicariorum ab illa dependentium fuerit semel, & pluries facta per concursum.
- 14 Vicelegatus Avenionensis utrum possit derogare bullæ Pii V. Ad exequendum: Et utrum dicta bulla requirat specialem derogationem: Et quid in beneficium Gallia.

IN Ecclesia parochiali & collegiata cura habitualis spectat ad Præpositum, tam ex dispositione juris, cum sit prima Dignitas in Ecclesia Parochiali, Cardin. Zabarell. consil. 30. in princip. ubi dicit quod satis expressum est, beneficium esse curatum, si fuerit narratum esse primam Dignitatem in parochiali: sed etiam ex antiquissima consuetudine, & statuti ejusdem Ecclesiæ, ut copiosius paulò post ostendemus. Vnde dubitatum fuit, utrum collatio beneficii unius, ex duobus curatis à Præposito dependentibus, qui olim vocabantur *Servatores Præpositi*, & erant amovibiles, facta aliter quam ad ipsius Præpositi nominationem, esset valida? Et ego pro nullitate provisionum concludendum existimavi.

N

Suppo